



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Venerabili Virgine Gertrude Ab Oosten Beghina Delphensi In Belgio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS. et humilitatem demissam amplectens, puritatem et simplicitatem cordis obtinuit. Contemplationi summe deditus, omnem externarum rerum tumultum fugiebat. Monachos laxè viventes reformavit, et eos rigori Cisterciensi subiecit. Cumque virtutum ejus fama se circumquaque diffunderet, Sedunensis Ecclesie Episcopus creatur, ibique Pastorem vigilantissimum se exhibens, variis sanctitatis titulis ornatus, in senectute bona piissime obiit. At *Kalendarium Cisterciense Divione editum*, vi Februarii hæc habet: Garinus Abbas Altæcumbæ, Episcopus Sedunensis. *Est apud Cl. Robertum aliud ab Alpensi monasterium Altæcumbæ situm ad lacum Burgetum. An Beati aut Sancti titulus Guarino olim ab Apostolica Sede fuerit decretus, haud scio; probabile tamen fit, cum passim et publice Beatum haberi et appellari in Ordine suo asserant Cistercienses quamvis nulla de eo in propriis Officiis fiat Commemoratio. Andreas quoque Saussayus in Martyrol. Galliano Beatum vocat, atque insigni ornat elogio.*

NOT. 107.

2 Qui vir fuerit Guarinus, colligi potest ex S. Bernardi Epistola 253, in qua hæc ad ipsum scribit Guarinum, ejusque monachos: Reverendo Patri et omni veneratione digno Domino Abbati Alpensi Guarino, et universis ejusdem loci Fratribus, Frater Bernardus vestræ sanctitatis servus, de bono in melius semper proficere. Revera nunc in te, Pater, experior, quod in sacris litteris legisse me memini: Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit. Jam seni requies, jam corona debebatur merito; et ecce tanquam novus in Christo miles, nova iterum tibi excitas bella, provocas adversarium, et rem fortium præsumis fessus senex, dum ad iterandum certamen, antiquum hostem, et jam quodammodo invitum compellis. Enimvero dum præter morem tuum, tuorumque prædecessorum traditiones, divinitus inspiratus Ecclesias et Ecclesiastica beneficia relinquis, synagogas satanæ, id est, cellulas extra cœnobium, in quibus tres vel quatuor Fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destruis, feminas a monasterio arces, ceterisque pietatis ac disciplinæ bonis studiosius invigilas solito; quid aliud primus et maximus ille peccator nisi videbit et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet? Sed quæ cura? Econtra tu in ejus confusione et tua consolatione cantabis Deo tuo: Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia in verbo tuo supersperavi. Nec timendum quod succumbat hosti, qui nec cedit ætati: vincit annos animus, et frigenti jam corpore fervet sanctum in corde desiderium; artubusque fatiscens, durat tamen incolumis propositi vigor; nec sentit rugosæ carnis infirma spiritus promptus. Nec mirum: ut quid enim metuat

Ecclesi. 18. 6. Vigor in senectute.

Pia instituta:

veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritualem videt indies in sublime consurgere, proficere in æternitatem? Certus namque est, si terrestri domus ista dissolvitur, quod ædificationem habet ex Deo, domum non manu factam, æternam in cælis.

3 Fuscè deinde probat S. Bernardus, monachum semper proficere debere, ac tandem subdit: Quod quidem sic adstruimus exemplis, ut probemus et oculis; dum in te, Pater, manifestum fit nobis quod dicitur: ejus quippe etsi homo exterior corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Unde enim tantus ardor innovandi Ordinis, nisi ex renovatione mentis? Sic bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: sic arbor bona fructus bonos facit. Primi et purissimi fructus tui. Sed quaenam arbor hos protulit, nisi puritas cordis? Alioquin quando impurus animus tantostudio regulæ inquireret eligeretque puritatem? Nec de turbido fonte limpidus emanat rivus, nec de sordidamente munda cogitatio. Intus est procul dubio, intus est quod delectat: et ex illa plenitudine intrinseca erumpit totum, quod foris exuberat: atque in mente fulget, quod sic placet in opere.

Quotidiana innovatio:

4 Sequimini filii Patrem: imitatores ejus estote, sicut et ipse Christi. Dicitur: In odore unguentorum tuorum curremus, siquidem bonus odor Christi est in omni loco. Nam ut taceam de vobis, qui presentes cominus percipitis fragrantiam, tanta ad nos usque, qui longe absumus, ex studiis ejus bonis pervenit hujus suavissimæ respersionis ubertas, ut nobis certissime fiat odor vitæ ad vitam. Puto quod et in cælestibus id jam persenserint in odorem suavitatis, et quadam solito festiviore exultatione decantant: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Et illud: Emissiones tuæ paradisi malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Quicumque inter vos hunc in cælis jubileum non audit, invidet. Quisquis hunc non sentit odorem, ut omnium pace dixerim, putet. Hæc Bernardus, cum adhuc Abbas esset Guarinus.

Celebre nomen.

5 Electus est deinde Sedunensis Ecclesie Antistes. Quam electionem mirifice probavit Bernardus, et merentes Monachos Alpenses consolatus est Epistola 142, quæ incipit: Bonus Pater vester atque noster, auctore Deo ad altiorem gradum assumptus est, etc. Sub finem hortatur, ut ejusdem Guarini consilio, et Godefridi Prioris Claravallensis, maxime idoneum eligant sibi Abbatem. Alpensis cœnobii meminit idem Bernardus Epist. 28. Guarini vero Bernardus Ab. Bonæval, vitæ S. Bernard. l. 2, c. 8.

Promotio ad Episcopatum.

DE VENERABILI VIRGINE

GERTRUDE AB OOSTEN BEGHINA

DELPHENSI IN BELGIO.

AN. CHR. MCCCLVIII. VI JANUARIJ. Gertrudis van Oosten celebre nomen.

Hujus sanctæ virginis celebris est in nostratibus Historicis memoria, sacris etiam fastis adscripta, etsi nondum solemnè Ecclesie judicio consecrata, quod quidem compererim. De ea Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum editis anno MDXV et MDXXI. Item beatæ memoriæ Gertrudis de Oosten Beginæ Delphensis, quæ stigmata Christi impressa habuit in corpore suo. Eadem habet Martyrologium Germanicum. Molanus in Addit. ad eundem Usuardum: Delphis in curia Beghinarum obitus Venerabilis Gertrudis de Oosten, cujus vita habetur. Martyrologium Gallobelgicum: S. Gertrudis de Oosten Beghina, nata Vorburgi, sepulta Delphis Hollandiæ oppido in

æde S. Hippolyti. Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum: Apud Delphos in Batavis S. Gertrudis virginis. Sed in nova Topographia Martyrologii Romani fide hallucinatur idem Ferrarius, ad nomen Delphi ita scribens: XVII Martii, Gertrudes virgo Ordinis Prædicatorum A. D. MCCCXL. Sur. tom. 7, ex qua urbs Hollandica in Brabantia confinio S. Gertrudenberch nominata. Gertrudenberga dicta creditur a S. Gertrude filia Ducis Brabantia, quæ colitur XVII Martii, non Delphis, sed Nivelis, mortua anno DCLXIV, unde patet, non fuisse Ordinis Prædicatorum. Quæ Delphis celebris habetur Gertrudis fuit Begina, mortua anno MCCCLVIII, VI Januar.

2 Meminit

2 Meminit hujus et Auberius Miræus in *Fastis Belgicis, et fuisus Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii his verbis*: Delphis in curia Beghinarum memoria B. Gertrudis de Oosten, natæ in Voerburch, quæ obiit an. MCCCLVIII, in die Epiphaniarum Domini. Hæc virgo erga passionem Domini multum fuit devota; unde et Christi stigmatibus insigniri meruit. De ea quædam leguntur in vulgaribus Hollandiæ Chronicis; sed multo plura Latino sermone extant manuscripta. Ponitur autem quotannis crux illa, unde stigmata accepit, in die obitus in altari, et solemniter concursu invisitur. Sepulta est sub campanili ad D. Hippolytum. Et privata ædes, quas inhabitavit, etiamnum notæ sunt. *Alia subdit de origine et sanctitate Beghinarum Belgii, de quibus plures his annis scripti sunt libri. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano*: Ipso die denascitur Delphis in Brabantia (*voluit in Hollandia scribere*) venerabilis virgo Gertrudis Oistensis, quæ, ob singularem erga Christum passum pietatem, ejus stigmatibus insigniri meruit.

Cruce, unde stigmata accepit, servata.

Vita Gertrudis.

3 Vitam Gertrudis edidit Surius, sed stylo suo: nos phrasim antiqui Auctoris restitimus ex *fidei ms. Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti. Aliam breviorē exhibebat ms. codex Ruberæ vallis, a Joanne Gilmanno aut Antonio Gentio conscriptam. Ejus vita olim Lovanii edita lingua Belgica anno MDLXXXIX, et nuper ab Heriberto Rosweydo Nostro in libro de Sanctis Virginibus, quæ in sæculo vitam duxere: utrobique Sancta appellatur. Italice eam vertit ex Surio Silvanus Razzius tom. 1 de feminis sanctitate illustribus, qui Beatam appellat. Joannes Gerbrandus a Leydis Chronici Belgici lib. 28, cap. 4, hujus vitæ aliquot capita, iisdem fere quibus eam hic damus verbis, refert, eamque ita citat: Plura etiam prædixit, et miranda gessit, quæ omnia brevitatis gratia pertranseo. Nam plenius in ejus Legenda inveniuntur descripta. Mortuus est Joannes Gerbrandus anno Christi MDIV, ut Valerius Andreas testatur. Agit de Gertrude fuse Josephus Geldolphus a Ryckel Abbas S. Gertrudis Lovanii in Appendice notarum ad vitam S. Beggæ §117.*

Unde ab Oosten dicta.

4 Dicta vero est van Oosten, sive ab Oriente, ob vernaculum carmen jambicum dimetrum catalecticum, et numero pedum ac syllabarum certo constans rhythmo, quod illa frequens concinebat, cuius initium est: Het daghet in den Oosten, id est, ab Oriente dies nascitur. Aliud Lovanii excusum est itidem dimetrum vernaculum carmen, simplex ac pium, quod illa composuisse ac sæpius cecinisse memoratur.

VITA

EX MS. ULTRAJECTINO.

CAPUT I.

Gertrudis patria: conversionis occasio.

Gertrudis habuit Christi vulnera in corpore suo.

Gheertrudis de Oosten, virgo venerabilis et Beghina devota, sed solemniter, non sine summi Pontificis auctoritate, veneranda, stigmata Domini nostri Jesu Christi nocte Parasceves an. MCCCL, suscepit in corpore suo: de quibus sanguis effluxit per dies multos septies in die, stupente populo prograndi miraculo. Quod ideo præmittitur, ut ejusdem Virginis vita gratius audiat.

2 Gheertrudis ista de villa quadam a Hollandiæ, quæ b Voerburch dicitur, et est media inter c Hagam-Comitis ejusdem patriæ, et civitatem d Delf, fuit orta, villanis parentibus. Unde patuit, sicut scribit in Epistolis Paulus, et dicitur in Actibus Apostolorum: Non est personarum acceptor Deus. Proinde puerilibus annis domi simpliciter transactis, cum Gertrudis, simplex ut columba, cœpisset non solum coram Deo sed et coram hominibus apparere virgo prudentissima; venit in Delf prædictam, more ancillarum ministrare diversis in locis, utpote temporalibus rebus tenuis.

Delphis famulatur.

3 Quamvis autem in illa civitate non erant pro tunc monasteria sororum et fratrum, sed solummodo duo templa, scilicet ecclesia parochialis, habens ad amplius tria altaria; et hospitale pauperum cum altari pro necessitate infirmorum, essentque domus multæ absque habitatione dispositæ; tamen concurrentibus utriusque sexus populis diebus festivis, non ad prædicandum, sed ad chorizandum; attamen hæc ancilla Deo dilecta tam devota fuit in hospitibus serviendo, tamque interna, quod sæpe tantam divinæ bonitatis sensit dulcedinem in medio turbarum, quantam postea frequenter experiebatur in cohabitatione Beghinarum. Sicque per gratiam Dei sensit et experta est inter Beghinas, quam veraciter scriptum est: Spiritus ubi vult spirat. Et iterum: Ubi spiritus Domini, ibi libertas. Hanc autem gratiam Virgini huic datam inter mundi turbines et populares nemo cognovit: sed postmodum Beghina cohabitans, dum requirebatur a quadam honesta persona, qualiter se gerebat inter mundana servitia, hoc revelavit. Sic igitur cor virginis Gheertrudis erat in sæculo procul a sæcularibus et temporalibus rebus relictum in Deo: ut pia Virgo, mente benigna, hilaris facie, humilis corde, cunctis placeret laudabili sua conversatione.

Ex mss.

Pie vivit in sæculo.

Joan. 3. 8.
2. Cor. 3. 17.

4 Nomen vero, imo cognomen sibi contraxit a quodam carmine: ut propter Orientis nomen carmini insertum vocaretur Gheertrudis de Oriente, vel vulgariter magis, de Oosten: sed cantando ferebatur spiritu, referendo carmen ad dilectum suum Jesum Christum. Eodem tempore duæ ancillæ, quarum una dicebatur Lielt, altera Diewer, frequenter veniebant ad præfatam Gheertrudim de Oosten, et frequentabant hoc canticum cum eadem in pontibus civitatis, vel aliis opportunis locis, bene canendo prædictum carmen. Sed et iste ancillulæ postea, sicut et Gheertrudis, a vana sæculi conversatione ad Dominum sunt converse; et Diewerdis Gheertrudi cohabitabat in Beghinagio: quod sic accidit providente Domino.

De Oosten unde dicta.

Dux ejus sodales.

5 In tempore namque quo Gheertrudis satagebat circa frequens ministerium, fideliter ministrando hominibus propter tale lucrum, gerebat animo servire Domino Deo soli, et placere sponso caelesti; sed experiebatur prius esse fallacem amorem mundi, sufferendo despectum terreni sponsi. Nam desponsata fuerat cuidam adolescenti, qui tamen eam despexit, et alteram ducere voluit: quam cum Gheertrudis monuisset ne sponsum sibi præriperet, illa de monitione nihil curavit, sed Gheertrudim contemnens, viro prædicto nupsit. Deinceps igitur Gheertrudis despecta, considerans fidem sibi non servatam in terris, integritatem suam Domino fideliter servare proposuit, qui et integram fidem demonstrat et servat, utpote Rex caelestis. Cum vero succedente tempore prædicti sic copulati conjugio, filios generarent, supra modum laborabat mater in parturiendo, et partus tempore non potuit liberari vel a prole vel a dolore, nisi prius Gheertrudim virginem placaret, pro infidelitate sibi facta veniam rogando: et sic mulier cruciatur, donec Gheertrudis eidem succurreret, Dominum pro ea flagitando.

Gertrudis cuidam desponsatur.

Ab eo despecta, Christum eligit sponsum.

- a Hollandia illustris totoque orbe celebrata Belgii provincia.
- b Vulgo Voerburch.
- c Oppidum Hollandiæ peramenum, sedes Comitum olim, nunc Gubernatorum.
- d Delpha, atque Delphi, oppidum Hollandiæ elegans et opulentum.

CAPUT II.

Religiosa ejus exercitia: tentationes.

Interim Gheertrudis sic experta infidelitatem adolescentis exonerari volens a cunctis mundi sollicitudinibus, ut sine impedimento serviret caelesti sponso Jesu Christo, qui hactenus eam custodierat in castitate corporis, intravit Beghinagium, cum omni humilitate petens et accipiens locum, secundum suum desiderium

Gertrudis fit Beghina.

EX MSS.

desiderium inflammatum. Cum igitur Virgo Deo accepta sic a Beghinis per paucis esset acceptata, se totam Christo fideliter obtulit cum magna devotione, et omnimoda diligentia, humilem se præbens in verbis, in actu, et habitu, ac omni conversatione; patiens in quacumque superveniente superventuraque adversitate, ut sic Deo foret amabilis, et omnibus hominibus amicabilis.

7 Frequenter autem peccata sua coram Deo et coram Sacerdote confitens, deplorabat sic quod in principio conversionis suæ xiv diebus et totidem noctibus a lacrymis non cessabat. Quo tempore luctus et fletus remissionem peccatorum suorum promeruit, sicut per revelationem sibi Deus manifestavit. Iterumque cunctis illis diebus, quibus lacrymæ suæ fuerant sibi panes die ac nocte, si quid cibi corporalis sumpsit, hoc ipsum valde modicum fuit; nec sine fletu et planctu. Deinde hæc Deo devota filia simpliciter ambulans et confidenter in via immaculata, et in semita mandatorum Dei progrediendo, et perficiendo secundum suum nosse et posse, quæcumque beneplacita constabant illi; satagebat semper per amplius atque perfectius proficere in vera humilitate, in voluntaria paupertate, in sancta Christi caritate, in contemptu suipsius, et omnium terrenorum, ceterisque virtutibus, quibus æstimatione sua placere posset cælesti sponso suo Jesu Christo, pro habenda venia, gratia, et gloria.

8 In principio conversionis suæ, propter temporalium inopiam, mendicabat, amore illius maxime spiritualiter affectata, qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est. Sin vero invitabatur domum intrare ad manducandum, cum gratiarum actione sumebat panem sua mendicitate procuratum. Frequenter ancillas et alios quoslibet homines admonebat emendare vitam: et cum ancillæ requirerent unde viverent, talem dedit responsum brevissimum: Ancillis Deo servire cupientibus sufficit fusum digitis apprehendere, adjuncta bona voluntate.

9 Quadam vice Gheertrudis ista invitata ut ederet in domo cujusdam matronæ Aleydis Willemanni cognomine, per posticum ingressa mansit immobilis ibi sedendo super cespites: quam gratia Dei præventam et sublevatam, qui dignoscerebant eam, sedere permiserunt admirantes. Nam sæpe contigit illi per gratiam Dei sex hebdomadis aut amplius in sua manere camerula; tuncque Deus ex sua misericordia manifestavit ei sapientiæ suæ secreta. Deinde cum virgo Gheertrudis ab internis ad externa rediret, comedit quiddam manui prius occurrit, utpote panem mucidum vel induratum, sumpsit pro potu lac coagulatum, vel liquorem alium.

10 Septennium peregit sine competenti naturæ suæ summo. Quo tempore frequenter vexabatur a diabolo, qui diversas Virgini tentationes et molestias immittens, apprehendit ejus brachia vel manicas fremens ac frendens, tamquam pellicem Gheertrudis exuere cupiens. Cum vero sic vexaretur a dæmone, sæpius eum nominavit nomine suo, dicens impropere: Fuge miser diable; vel secundum idioma a Teutonicum improperebat ei casum quo ceciderat in infernum. Quod dum diabolus audire doleret, sustulit eam sæpe de loco ad locum, et aliquando de terra in aere sublevatam deposuit: b nec tamen illi nocuit; nam Deus sponsus ejus eandem ledi non permisit. Tentatione vero molestiisque transactis, Virgo gaudebat in Domino, sciens quoniam beatus ac felix qui suffert tentationem, et cum probatus fuerit ac cognitus fidelis, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se: et quia nemo coronabitur, nisi qui certaverit legitime.

11 Infantes dilexit et pueros hæc virgo Gheertrudis. Quapropter diabolus sæpe se transfiguravit non in Angelum lucis, sed in formam pueri plangentis et

lugentis, ut sic occuparet animum Virginis, vel averteret a Deo, sine divinis. Sed Christi virgo noscens et respiciens dæmonem, dicebat: Discede a me spiritus maligne, quia non es tu dilectus animæ meæ.

a Duplici lingua Belgæ utuntur, Romana, sed corrupta, quam vulgo Gallicam dicimus; et Teutonice, sine veteri Gallica aut Germanica, sed molliori dialecto, quam superiores Germani: et hæc Flandri, Galli et exteri Flandricam vocant; reliqui Belgæ Teutonicam, sive Tuisam, inferiorem Tuisam, aut etiam Belgicam appellant. Hæc utuntur Frisii, Gelri, Hollandi, Selandi, plerique Brabant, Flandri, Limburgii, alique Luxemburgi et Hannones, Romana sive Gallica Artesia, Namurcum, pars Brabantia, Flandria, Limburgia, plerique Hannones ac Luxemburgi.

b Addit Josephus Geldolphus a Ryckel: Quamvis (quod de S. Ildidio quoque dicitur) onus imponeret dæmoni, sequere de ferri vel referri potius imperaret, quam imponi sibi sineret. Quæ nescio unde hauserit. S. Ildidi vitam vti Julii adhibuit, a S. Gregorio Turonensi scriptam, in qua tamen nihil simile legitur.

CAPUT III.

Meditationes ejus de Christi infantia.

Exercebat autem se hæc devota Christi famula quotidie meditans in vita Jesu, et ejus passione. Veruntamen secundum cursum temporis in suis exercitiis se conformabat officiis Ecclesie sacrosanctæ. Nam in Adventu Domini meditabatur recogitans antiquorum Patrum desideria sublimia, et mirabatur quod Altissimus Dominus dignatus est ad nos venire, et assumere naturam humanam de Virgine humillima Maria; et quod nihilominus adhuc ad nos dignatur venire, mansionemque in animabus nostris facere: si tamen sermones ejus servaverimus, et ei fideliter servire velimus. Recogitabat insuper beneficia, quæ noverat a Deo sponso suo gratuita clementia sibi præstita: qualiter eam prævenerat Deus eligens in sponsam et filiam mirabili gratia. Inter hæc et hujusmodi cogitando mirabiliter Deo regratiabatur, et admirando letabatur.

13 Deinde in festis Nativitatis Jesu Christi Domini nostri, magna devotione suffulta, recogitabat animis elevatis, prout congruebat festivitati, cooperante quod in ea cœperat, gratia Christi. Meditabatur cum summa cordis dulcedine, quam dulciter illa Virgo purissima et gloriosissima mater Maria dulcissimum filium suum Salvatorem et Dominum nostrum peperit, et quam pie virgineis uberibus dulcissimo lacte manantibus aluit. Meditando quoque mirabatur maximam Salvatoris nostri Jesu Christi humilitatem, qui dignatus est ex sinu Patris cælestis infans apparere parvulus in gremio Virginis Matris: insuper quod ex maxima caritate propter nos homines et propter nostram salutem, sustinere voluit esuriam, sitim, et extremam paupertatem.

14 In prædictis autem meditationibus maxima replebatur mentis dulcedine, totis virium præcordiis laudans et glorificans Deum, cum summa gratiarum actione. Configit vero signum maximum virgineæ gratitudinis per dies quadraginta, quod Deus ostendere voluit, præter eam quæ latebat intrinsece, suavitate gratia. Nam quadam vice, dum talibus meditationibus operam daret cum magna cordis devotione et dulcedine, delectando in Domino Jesu Christo parvulo nato, cœperunt ipsius Gheertrudis Virginis ubera tumescere, lacteque manare: sicque per singulos dies a festo Dominicæ nativitatis usque ad festum Purificationis non cessavit exitus virgineæ lactis ex uberibus Virginis: et satiabatur illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini super salute generis humani. Prædictum miraculum tanto mirabilius, quanto rariius: sed credent facilliter, qui legerint et crediderint, a S. Lambertum nutritum virgineo lacte cujusdam virginis cæcæ, sed per idem lac virgineum, sicut ab Angelo virgini prædictum fuerat, illuminatæ. Nam secundum Hieronymum omnes veræ virginis sunt Domini nostri Jesu matres, si tamen fecerint voluntatem Patris cælestis.

Divinitus intelligit peccata sibi remisit.

Præ inopiam mendicat.

Hortatur alios ad vitam emendationem.

Frequentes ecstases patitur.

Insipidis vescitur.

Vigilia se macerat.

Tentatur a diabolo.

Ei insultat.

a

b

Ab eo alio sublata non ladtur.

Tentatur ab eo specie pueri plangentis.

Meditationes Gertrudis;

In Adventu:

In Nativitate.

Ejus ubera 40 dies lacte manant.

a

S. Lambertus virginis cæcæ lacte nutritus. Marc. 3.

a Vitam

a *Vitam S. Lamberti dabimus xvii Septemb. Quod hic narratur, refert et Anselmus Canonicus Leodiensis in vita S. Lamberti, atque virgini illi nomen Lietae fuisse.*

CAPUT IV.

Impressa illi Christi Vulnera.

Lieta Beghina prædicit Gertrudi, suscepturam eam Christi stigmata.

Mirandis plus miranda succedunt, quibus auditis et creditis, testimonia Dei de Virgine nimis credibilia fiunt. In tempore prædicto dum Gheertrudis exercebatur in Domini justificationibus, et illius vitæ meditationibus, erat devota quædam Beghina, de qua præscriptum est, nomine Lieta, habitans in eodem Delfensi Beginagio, quæ repleta Spiritu sancto, sicut ostenditur factis, dixit mirabilem gratiam virgini Gheertrudi superventuram. Prædixit enim hæc virgo virgini plusquam per annum priusquam fieret, quod anno transacto manibus et pedibus ac in latere suo dulcissima stigmata Domini nostri Jesu Christi susciperet. Quo dicto, turbata humilis ancilla Christi Gheertrudis, indignam se iudicans tanta gratia, respondit verbis humilibus: Unde hoc mihi ut fieret in me tanta gratia Dei? Cognosco me peccatricem magnam, nec in me virtutes possideo cogitatione, locutione, vel opere, nisi Deus dederit ex abundantia divinæ miserationis suæ: nec sibi possem respondere reddens unum pro mille beneficiis mihi datis, nam minor sum cunctis donis illius. Igitur quia de beneficiis acceptis teneor, et illi debeo laudes et gratiarum actiones solvere; rogo, soror dilecta, ne verba talia meis ingeras auribus, nec os tuum repleatur tantis mirabilibus nuntiandis: quia quod scio refero, scilicet indignam me tanta gratia, quod stigmata passionis Dominicæ portarem in meo mortali corpore.

Gertrudis 5 vulnera recipit in suo corpore.

16 Post hoc, anno transacto, nocte Parasceves instante, hæc virgo Gheertrudis attentione magna prostravit se coram crucifixo, prolixius orans in camera sua, meditantisque replicabat intento corde fervorem caritatis divinæ, quæ Christum Dominum pro nobis miseris peccatoribus coegit consummari mortem dura, morte crucis turpissima. Recogitabat elevata mente, diligenter pertractans amaritudinem passionis et mortis amarissimam, totius animæ suæ viribus Deum laudans, et exhibens se gratam. Cum vero mirifica devotione sic præventa transformata foret in amorem, vel etiam compassionem dilecti sui Domini Jesu Christi, mirabilis Deus in Sanctis suis tanta fecit mirabilia Virgini mirabili gratia, sic ut quinque stigmata Domini nostri susciperet vere mirabiliter in quinque membris corporis sui virginei.

Ex his septies in die sanguis emanat.

17 Susceptis igitur quinque stigmatibus, imo quinque vulneribus, ex contemplatione divina veniens ad humana, clamavit ad cohabitantem sibi Beghinam voce magna: Diewerdis veni, et vide quantam gratiam Deus mihi pauperi concessit ancillæ suæ, non meis meritis, sed ex sua superabundanti pietate. Quæ cum veniret, videns tantam gratiam dono Dei virgini Gheertrudi concessam, obstupuit, et Deum pro tantis mirabilibus largiter et patenter ostensis laudans benedixit. Nam non solum nocte Parasceves illa, verum etiam clara die, sed et deinceps diebus multis ex sacrosanctis vulneribus profluxit sanguis pulcherrimus rubicundi coloris septies in die, per singulas scilicet horas canonicas: qui quidem error de stigmatibus profluens, receptus est in peplis ejusdem Gheertrudis sollicitudine præparatis.

Molesta est illi frequentia visitantium.

18 Novitas ista cito cunctis innotuit, nec latere potuit: unde non solum de civitate Delfensi, sed et circumquaque populus multus, audiens in Virgine Dei mirabilia prodigia, properabant videre quæ facta fuerant. Sed hujusmodi concursus Gheertrudi non placuit. Insuper sæpius propter populi frequentiam cordis molestias experiebatur et tædium, visitantibus eam nimis impediens a spiritualibus exercitiis et

meditationibus devotis, quibus rapiebatur in Deum, vel in mentis excessum. Considerabat interea, quia timor Domini necessarius est omni homini, et nisi se continuerit in timore, cito subvertetur domus illius, scilicet conscientia, vel a demone, sive a mundo, vel a propria carne; timens ne forte Deum posset aliqua complacentia mente tenuis offendere; et turbam visitantium cernens esse quiddam medium inter se et dilectum animæ suæ, propterea quadam vice nimis a visitantibus animo vexata, rogabat Dominum nostrum dicens voce cordis humillima: Dulcissime Domine Jesu, si fuerit voluntas tua, tunc desidero quod hæc quinque vulnera pietatis tuæ gratia mihi concessa rursus tollas, ne forte contingat mihi a te separari per propriam complacentiam, vel quaslibet alias diabolicæ fraudis astutias.

Ex mss.

Orat tolli a se vulnera.

Sanguis deinceps non manat.

Privatior dulcedine divinæ consolationis.

19 Exaudivit autem Dominus orationem virginis, et abstulit illi gratiam quinque vulnerum, sic quod ex eis sanguis non emanabat, sed stigmata tantum deinceps usque ad mortem conservabat. Dehinc in circumferentia cordis magnum dolorem sensit: nam consolatione præteritæ suavitatis, quam tempore profluentis rubicundi sanguinis ex vulneribus ante habuerat, eam carere deinceps oportuit. Post hoc tanto fervore ferebatur ad prædictam gratiam resumendam, ut desiderio desideraret, et prorumperet in hanc vocem, vel simillimam: O si dulcissimus sponsus meus Jesus Christus rursus dignaretur mihi conferre gratiam quinque vulnerum suorum, quæ pro salute mea prius ipse suscepit et pertulit in cruce! Si contingeret mihi sanguinea Christi vulnera portare visibiliter in corpore; non rogarem Deum quod iterum tolleret hæc a me. Potius enim desiderarem, sustineremque me poni spectaculum cunctis hominibus in cupa supra foricampum, ut omnes homines cernere possent insignia divinatorum mirabilium, et cernentes laudarent ac glorificarent Deum.

CAPUT V.

Variæ ejus vaticinia.

Hæc devota virgo Gheertrudis de Oosten, a quæ nomine monosyllabo nuncupatur a medio hujus nominis Gheertrudis sumpto, susceperat ante diem Parasceves in nocte quinque Vulnera Christi, de quibus, sicut præscriptum est, septies in die multis hebdomadis emanavit gratia sanguinis rubicundi, vel ad minus usque ad Ascensionem Domini anno eodem, et ejusdem b mcccxi. Vixit autem postea Gheertrudis annis fere xviii, sed imbecilli gravique corpore: propter quod ecclesiam visitando, bis aut ter in via solebat quiescendo pausare. Et quamvis gravis erat et corpulenta, tamen in sumendo cibum et potum sobrietatis utebatur mensura.

a

b

Mortua est an. 1338.

Corpulenta erat, sed sobria.

Panis et caseus ei ab ignoto, divino instinctu, deferuntur.

21 Quadam vice magno desiderio concupivit edere caseum cum pane; Dominusque Deus exaudiens ejus implere desiderium, suscitavit quemdam rusticum villanum, qui surgens accepit panem simul et caseum, nesciens ad quem deferret, etiam cum esset in civitate Delf. Cum vero prædictus villanus ambulando venisset circa Beghinagium, quo morabatur hæc virgo, cujus domus adhærebat communis plateæ muro, cognoscens hoc in spiritu Gheertrudis, et sciens eum cum caseo et pane venire, quem tamen non novit, aut nota fuit, vocans consororem suam Diewerdin, misit eam suscipere panem cum caseo qui ferebatur a villano. Quæ continuo progrediens, invenit ante Beghinagii portas quemdam portantem panem et caseum, dixitque ad illum: Amice, nunc implesti viam, qua Deo volente venisti, vel etiam venire debuisti. Qui confestim caseum cum pane proferens eidem dedit, et sic post mutuam salutationem uterque viam suam repetendo domum propriam rediit. Gheertrudis igitur panem cum caseo suscipiens

EX MSS.

Dono prophetae, absentia et futura noscit.

Prælium inter Houckios et Cabilliauios an. 1351.

d

Quasdam penitentes certas reddit de salute.

Inundationis periculum deprecatur.

piens a villano consorori datum, manducavit gratias agens et benedicens Dominum.

22 Hæc devota Gheertrudis habuit gratiam prophetiæ, sicut et per experientiam demonstratur. Novit Dei præveniente gratia quid fiebat præsentialiter in occulto, velut patuit in prædicto villano. Scivit insuper quæ longe fiebant, et quæ futura erant. Quod enim sciebat ea quæ fiebant instanter et a longe, patuit c anno Domini MCCCLI, dum fieret in Mosa prælium, præliante matre Imperatrice Ducisca contra Ducem Wilhelmum filium suum, quo prælio perit diversimode multitudo hominum. Quo quidem prælio durante, et Gheertrude cum Beghinis ceteris in ecclesia parochiali consistente, subito noscens in spiritu Gheertrudis periculum quod institit, toto corpore procumbens in oratione, humiliter Beghinas admonuit, Dominum nostrum devotis precibus placare; dixitque in hæc verba Beghinis: Sorores, nunc tempus est orandi, et magna necessitas, quia tali tempore præliatur in Mosa super undas. Dehinc modico transacto tempore, prælio consummato, noscens hoc in spiritu Gheertrudis, ait orantibus Beghinis: Sorores, laudate Dominum, quia d nostra pars obtinuit, et factum est prælium.

23 Accidit aliquando, quod Beghinæ noviter conversæ plangerent in ecclesia cum magna contritione peccata commissa; et hoc sciebat in spiritu Gheertrudis ista. Quapropter Beghinas easdem domum revertentes advocabat, et consolando dicebat: Sorores, quamvis vitam vestram male vivendo Dominum graviter offendistis, delete peccata lacrymis, et angustiamini modicum in vobis nunc. Dico vobis ex parte Dei, quia numquam damnabimini.

24 Dum quadam vice Gheertrudis sederet in cella sua, sciebat imminere periculum communi patriæ, quia Rheno superfluente, profluerunt super terras aquæ: sed occurrit periculo huic hæc virgo, rogans sorores Beghinas orare propter hoc Dominum humiliter, et ipsa similiter orante Deum prostrata corpore cruciformiter.

a Nimirum Truyt. Familiare est Belgis propria nomina quasi blandiendo dimidiare, et deinde notam diminutivi ken vel jen addere; uti hic ex Geertruyt fit Truyt, et inde Truyken vel Truytjen.

b Tamen Joannes Gerbrandus a Leidis lib. 29, cap. 9, scribit eam an. MCCCLVIII, suscepisse quinque Vulnera a Christo in manibus, pedibus, et latere.

c Stolidissimum hoc bellum fuit. Quidam se Cabilliauios (sic Belgice vocant assellum piscem) appellabant, quod ut ille pisces alios vorat sic ipsi adversarios domarent. Præcipui factionis Duces erant Arkelii et Egmondani. Alii se Houckios sive Hoecios dicebant. Hoec Hollandis, quod Brabantis Hæck, hanum significat: quasi sese jactarent Cabilliauios futuros, quod est hamus pisci. Factionem hanc præcipue tuebantur Brederodii et Wasenarii. Margareta Ludovici havi vidua tunc Hollandiam Hannoniæque tenebat. Cabilliauii Wilhelmum Margaretae filium evocant, eumque Hollandiæ præficiunt, Houckii Imperatrici servantibus fidem. Hæc auxiliis Anglicis fulta, filium navali prælio vicit juxta Veram Walachriæ oppidum; victa deinde circa ostia Mosæ fluvii, inter Brielam et Arenam-Comitis, sive sGravenzandam, iv Julii MCCCLI. Pax paullo post inter filium ac matrem facta. Non conquievit tamen factiones sed hæc post quinquentium mortua, filio an. MCCCLVII, phrenesi correpto, rursus recrudere.

d Primi Delpenses, ut lib. 29, cap. 17, habet Joan. a Leidis, Wilhelmum suscepit.

CAPUT VI.

Alia ejus prædictiones.

Quodam tempore venit quædam persona sæcularis ad Gheertrudim, quam sedulo consuevit visitare, curiosis induta vestibus, et in ceteris conversatione moribusque mundo conformis, Elizabeth nomine. Quæ dum quadam vice Gheertrudim requireret qualiter ad regnum cælorum perveniret, responsum tale recepit a virgine: Ecce tempus adhuc venit, quod tu mundo crux eris, et mundus similiter tibi. Quod accidit tempore subsequenti. Nam paralysis in tan-

Quidam prædicit miserias obventuras.

tum vexavit eam, quod ibat claudicando, baculisque sustentando.

26 Sciebat etiam Gheertrudis occulta superventura, sicut expertus est Confessor ejus Dominus Nicolaus de a Hondepil, inter adversa et prospera. Hic Confessor prænominatus Capellanus antiquæ Ecclesiæ, Sacerdos erat mirabilis devotionis: quia dum venisset extra cognatos et notos, amore paupertatis mendicabat fragmenta panis per domos. Hic erat dignus virgini Consiliarius, et ductor ejus in acquirendo virtutes. Igitur dum quidam Magister Theodorius de Renen reconciliatus fuisset cum suis inimicis, et de eodem loquerentur Dominus Nicolaus de Hondepil et Gheertrudis; addidit ipsa in fine colloquutionis: Ecce Magister Theodorius occidetur ab inimicis suis. Cumque Dominus Nicolaus respondisset, quomodo id fieret, cum reconciliatus hostipertis esset; virgo dixit: Veraciter tamen prædico, quia fiet, et subito. Factum est post modicum, quod idem Magister Theodorius extra portas civitatis Delfensis inter insidias veniret hostium, qui tam crudeliter occisus est ab eis, ut membra trucidati colligerentur et referrentur ad domum in sportulis. Dum hoc doleret Confessor accidisse sicut virgo prædixerat, magis attendebat deinceps quid ipsa dicebat.

27 Cum deinde Confessor prædictus in Delf emere domum prætendens, hoc virgini se facturum prædiceret, illa dissuadendo dicebat: Domine, domum nunc non ematis, quia brevis in valde bono foro domos venales invenietis. Et hoc accidit, b quando postea Delf civitas erat obsessa. Unde patuit, quod præscivit, quamvis post mortem virginis contigit quod virgo prædixit.

28 Quædam matrona nobilis Aleydis Willemanni supradicta, valde metuens extremum horrendum Christi judicium, et æterna tormenta, sæpe visitabat Gheertrudim Beghinam, humiliter rogans, ut ipsa pro ea dignaretur preces effundere, ut æternam damnationem posset evadere, et Dei gratiam misericorditer obtinere. Quæ dum quadam die cameram Gheertrudis intrasset, ubi Dominum pia-virgo precibus placans erat contemplatione suspensa; tandem rediens ad se Gheertrudis, clamavit ad prædictam matronam voce magna: Aleydis Willemanni, dico tibi per Dei gratiam et misericordiam, quod tu numquam damnaberis post istam vitam. In quibus verbis matrona se sentit mirabiliter consolata, et regratiabatur Deo propter tantam misericordiæ suæ gratiam. Postea matronæ prædictæ ac prædictæ maritus eandem consolationem sibi fieri petiit: sed idipsum posse se respondere non nisi Deus prius revelaret, Gheertrudis dixit.

a Joannes a Leidis, Hodepil.

b An. MCCCLIX Delpenses, castella quadam Houckiorum evertissent, ab eo obsessi sunt 10 hebdomadis et duobus diebus, coactique ad deditiorem, magna pecunie summa, et murorum, portarum turriumque demolitione multati sunt.

CAPUT VII.

Gertrudis hujus, et alterius pia mors.

Dum multis annis sic virgo Gheertrudis inter Beghinas vixisset in magna fervoris et rigoris devotione, venit tempus quo de hoc mundo temporaliter moriendo transiret, et cælesti sponso suo sempiternaliter adhereret: de quo suaviter solebat loqui, meditative devote, et sicut supra dictum est dulciter canere. Munita proinde sacrosanctis Christi mysteriis in ultima dixit infirmitate: Sorores, ego ad domum volo. Quod cum præsentem ex infirmitate putarent eam dixisse, respondissentque eam domi esse; dixit illa sana mente: Nequaquam domi sum ego, sed esse volo, ubi plateæ sternuntur auro mundo. Post hoc breviter

a
Ejus Confessarius vir pius.

Prædicit Gertrudis cuiusdam cædem.

Prædicit obsidionem Delpensem.

b

Aleydem Willemanni certam reddit de salute.

Munitur extremis Sacramentis.

Maritur. breviter in manus Dei spiritum suum commisit, et in pace quievit : apparebantque in manibus ejusdem defunctæ digiti sicut eburnei. Obit autem hæc venerabilis Gheertrudis anno Domini mcccclviii, in Epiphaniæ Domini festo : et est sepulturæ tradita humiliter extra januam turris antiquæ ecclesiæ Delfensis, a parte meridionali, quia carebant Beghinæ tunc propria ecclesia et cœmeterio. Sic igitur eodem die quo tres Reges venerunt ab Oriente, et invenerunt Dominum Jesum sponsum animarum sanctarum, invenit eundem et inventa est ab eodem Gheertrudis de Oosten electa virgo in æternum.

Multæ ibidem sanctæ Beghinæ. 30 Eodem tempore, et multis annis sequentibus fuerunt in eodem Beghinagio multæ personæ mirandæ devotionis, quæ feliciter vitam suam consummaverunt in virtutibus variis. Erat autem in domo conventuali quadam nomine Gheertrudis, quæ puritatis et humilitatis virtutibus institit in vita, sicut Deus ostendit in morte sua. Denique mox anima prædictæ virginis exuta humanis, in a Flandria cuidam Cellitæ apparuit, concomitantibus eam duobus Angelis a dextris et sinistris. Quod cum Frater devotioni deditus cerneret, requisivit ab Angelis, dicens : Quo deductis hanc monialem? Qui responderunt : Non est monialis, sed Beghina Delfensis. Frater igitur tempus et horam consideranter notans, venit ad civitatem Delf nominatam, sperans hanc fuisse sororem suam, quam habuit inter Beghinas devotas devotam. Cum

vero sororem reperisset vivam, didicit aliam fuisse, Gheertrudim nomine, quæ ducebatur ab Angelis, ex hoc immundo mundo, perenniter copulanda caelesti sponso Domino nostro Jesu Christo. Quod exemplum hic est appositum prædictis, ut sciatur, alia fore ista quam illa, sicut et frequenter eodem die concurrunt duo Sancti ejusdem nominis, velut in die *b* Bonifacii, *c* Valentini, et *d* Apolloniæ, et *e* aliis multis, ut patet insipienti Legendas Sanctorum de singulis diebus : quibus Sanctis nos conjungat Deus in cælis, Amen.

a Flandria una est Belgicarum provinciarum; facile omnium opulentissima, a qua nationes quedam externæ Belgas omnes Flandros appellant.

b xiv Maii colitur S. Bonifacius Martyr Tarsensis, et S. Bonifacius Episcopus Perentinus. Sed fortassis ideo id hic Auctor scribit, quod v Junii, quo colitur S. Bonifacius Episcopus Moguntinus et Martyr. plurima Martyrologia S. Bonifacium Martyrem Tarsensem celebrent, ut suo loco dicemus.

c xiv Februarii colitur S. Valentinus Presbyter Romanus, Martyr; et S. Valentinus Episcopus Interamnensis, Martyr.

d ix Februarii colitur S. Apollonia virgo Alexandrina, martyr : atque in quibusdam Martyrologiis celebratur alia Apollonia virgo Romana sub Juliano Apostata cum Apollonio patre martyrio coronata, cujus exstant in quibusdam mss. et in Legenda Antonii Liberi Susatensis, Acta, sed quæ nobis videntur haud mereri fidem, ut ad eum diem dicemus.

e Vel in superioribus id manifestum est : i Januarii coluntur S. Clarus Abbas Viennensis, et S. Clarus monachus Salighenslandiensis. ii, S. Macarius Alexandrinus, S. Macarius Romanus; S. Macarius Martyr. v, S. Synlectica virgo; et alia S. Synlectica Apollinaris virgo; S. Telesphorus Papa Martyr, et S. Telesphorus Martyr in Africa.

EX MSS.

b
c d e